



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

20 Decimae quare dentur clericis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

quest. 1. & Navarr. eod. monit. 50, quest. 1, num. 7. & etiam beneficiati de decimis pauperibus subvenire tenentur; quia in lege veteri speciales quædam decimæ pauperum subventionem deputabantur.

20 † In nova autem lege decimæ dantur clericis non solum propter eorum sustentationem, sed etiam, ut ex eis pauperibus subveniatur: ideo non superfluum, sed ad hoc necessariæ sunt possessiones Ecclesiæ, oblationes, & primitivæ simul cum decimis, ut inquit S. Thom. 2, 2, quest. 87, art. 3, ad pr. cap. decimæ, 16, quest. 1. & Navarr. eod. tract. quest. 2, monit. 7, nu. 5. & alibi S. Thom. 2, 2, quest. 86, art. 2, in corp. quest. ubi ait, & ideo † oblationes, quæ à populo Deo exhibentur, ad sacerdotes pertinent, non solum, ut eas in suos usus convertant, verum etiam, ut fideliter eas dispensent, partim quidem expendendo in his, quæ pertinent ad cultum divinum, partim verò in aliis, quæ pertinent ad proprium cultum, quoniam qui altari serviunt, cum altari participant. 1. Corin. cap. 9. partim etiam in usus pauperum, qui sunt, quantum fieri potest, de rebus Ecclesiæ sustentandis, & Navarr. eod. tract. quest. 3, monit. 7, num. 7.

Nec potest beneficiatus de redditibus ecclesiasticis superflua vendere, aut alias arbitrio suo in profanos: & malos usus impendere quia, ut inquit Sor. in lib. de inst. sacerd. 2, pat. de vir. sacerd. lect. 3, tit. 23 de bon. eccles. primò omnium constat ex decursu totius Ecclesiæ ab Apostolis, & ipso jure divino bona omnium Ecclesiarum, cum Christi sint, etiam pauperum esse, neque ulla ratione, aut potestate humana fieri posse, ut licite in alios

usus, quàm ecclesiasticos, & pauperum expendi possint: & paulò post: & contrarium credimus esse errorem gravissimum, saltem contra bonos mores, & justitiam, & etiam contra scripturam, & quæ supersunt ad congruam vitæ sustentationem, egenis cum summa reverentia, & cum Dei timore sunt dispensanda, cap. Episcopus, 12, quest. 1. Archid. in cap. statutum, §. assessorum, solum. penult. de rescript. lib. 6. & est communis opinio, ut per Navarr. eod. tract. quest. 1, monit. 48, num. 1. & 2.

22 † Malè autem impendens redditus ecclesiasticos, non solum peccat mortaliter ex supra deductis, sed etiam tenetur ad illorum restitutionem, Ancharan. & Dom. in §. 1, 44, dist. Ant. in cap. finali num. 17. & ibi Abb. in fin. de pecul. cleric. Felin. in cap. postulasti, num. 6, vers. & scias, de rescript. & in cap. de quarta, num. 33, vers. quid autem, de prescript. Socin. in cons. 32, incipien. ex his, quæ superius circa princip. par. 1. & hanc esse communem opinionem, testatur Navarr. in d. tract. quest. 2, monit. 7, num. 1. hoc etiam sentit Concil. Trident. in cap. 1, de reformat. sess. 25. contrarium tamen tenet de consuetudine Covar. in cap. cum in officijs nu. 3, in fin. de testament. licet consuetudo suffragari non videatur, cum potius dici possit corruptela ex supra deductis, cap. quæ contra. & cap. mala 8, dist.

Quæ autem sunt † superflua, attenditur qualitas personarum, quæ pro eorum honesta sustentatione impendere possunt, & arbitrio prudentum, ac piorum virorum qualitas personæ, & necessaria impensa ad honestam sustentationem est arbitranda; quoniam Papa Cardinalibus

opus